





~~SM.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
M-73. ———  
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.





I. N. J. C. C.

COLLEGIISYN-  
OPTICI  
EX  
LOGICA

DISPUTATIO IV.

exhibens

TERMINUM COLLECTIVUM ATQVE DI-  
STRIBUTIVUM: ABSOLUTUM ET RESPECTI-  
VUM: UNIVERSALEM, PARTICULAREM ET SINGU-  
LAREM: ABSOLUTUM ET CONNOTATIVUM: ADÆQVATUM ET  
INADÆQVATUM: ABSTRACTUM ET CONCRE-  
TUM: FINITUM ET INFINITUM.

*Quam*

PRÆSIDE

M. GEORGIO VVAGNERO,

Colleg. Phil. Adj.

JOHANNES SEMPER, Nimicio-Siles.

Philos: Studiosus.

*Amica Philosophantium collationi*

*D. 8. Januari Ann. Christi M. DC. LXX.*

*In Auditorio Majori horis consuetis subjicit.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Academ. Typogr.







*Incipe, effice, perfice mi Jesu!*

## TITULUS V. DE TERMINO ABSOLUTO ET RESPECTIVO

### SECTIO I. POSITIVA

PRÆC: I.

*Terminus absolutus est terminus Logicus, qui significat aliquid ab-*  
*olutum.*

*ex D.*

*I. Ad Subj.*

**H**ic terminus dicitur absolutus, eò quò dicitur absolutus à respectu  
(destituitur respectu) in ordine ad modum prædicandi. Ac-  
cipitur autem ipse *non in oppositione ad terminum connotati-*  
*vum*, prout ille est absolutus, qui non significat adjectivè s. ut  
inhærens & adjacens: sed in oppositione ad *terminum respectivum*, i-  
ta ut iste sit absolutus, qui excludit respectum ad aliud.

*II. Ad Prædic:*

(1) *Conceptus Genericus* liquet. (2) *Conceptus differentialis* consistit, in si-  
gnificatione conceptus rem absolutam involventis. Ideo enim salu-  
tatur absolutus, quod respectum ad aliud non admittat. Sic Logica  
substantia est terminus absolutus.

PRÆC. II.

*Terminus respectivus est terminus Logicus, qui conceptum entis re-*  
*spectivi designat.*

*ex D.*

*I. Ad Subjctum.*

Respectivus vocatur, cum stipetur respectu ad aliud. Conceptus n.  
qui ab hoc termino signatur, est significativus entis respectivi.

*II. Ad Prædic.*

Formale hujus termini est *significatio conceptus relativi*. Sicut enim  
terminus absolutus signat conceptum, qui respuit relationem: ita re-  
spectivus, dicit conceptum, qui admittit relationem. v. e. Subjectum est  
terminus respectivus: designat enim ejusmodi conceptum, qui relatio-  
nem importat ad Prædicatum.

### SECTIO II. DIRECTIVA.

CANON.

*I. Terminus absolutus non quærendus, sed prædicamentalem solummo-*  
*dò excludit respectum.*

*A*

*Re-*



ἐκθ.

Respectus quippe *transcendentalis*, latius patet, quàm *prædicamentalis*. Quapropter terminus absolutus benè gaudere potest habitudine transcendentali, licet careat prædicamentali. v. c. habitus est terminus à prædicamentali relatione absolutus. Ipse enim est in prædicamento, non relationis, sed Qualitatis. Neq; tamen propterea Habitus est terminus absolutus à respectu transcendentali, cum ipse inferat respectum ad suum Objectum.

¶ I. Terminus Respectivus & Collectivus differunt.

ἐκθ.

Respectivus quippe designat rem, cuius totum esse consistit in habitudine ad aliud: Collectivus autem notat rem s. absolutam s. respectivam cum aliâ re, in quodam tertio comparatam.

### SECTIO III. DISPUTATIVA.

¶ 2. Annon terminus absolutus & respectivus potius ad *Metaphysicam*, quàm ad *Logicam* spectet?

¶ Resp. D. inter *Tò absolutum* & *respectivum*, in *essendo*, *cognoscendo* atq; *prædicando*. Sub illo modo ad *Ontologiam*, sub isto, ad *Gnostologiam*, sub hoc ad *Logicam*, terminus absolutus & respectivus solet referri. Scopus enim ad quem omnia in *Logicis* collimant, est *modus prædicandi*. Cum verò hic etiam imbibatur à conceptu, tum *absoluto*, tum *respectivo*, nihil obstat, quò minus & terminus absolutus atq; respectivus possit esse *Logici* fori.

### TITULUS VI. DE TERMINO

## COLLECTIVO ATQVE DISTRIBUTIVO.

### SECTIO I. POSITIVA.

#### PRÆC. I.

*Terminus collectivus* (i. e. collectæ significationis: i. e. copulativus) est qui plura ad unum per accidens redacta significat, ut: *Domus*, *Civitas*, *Ecclesia*.

ἐκθ.

§ I. Ad Subj

*Tò collectivum* jam capitur, non *πρωτονοηματικῶς* s. primo intentionaliter, in modo essendi; quo sensu designatur *Ens collectivum*: sed *δευτερονοηματικῶς* s. secundo intentionaliter, in modo cognoscendi:



di: quomodo infert notionem secundam Logicam. Sicut vox adjecti  
Terminus evincit. Et cum collectio in predicando, alia accidat Enun-  
ciationi; alia termino: Hoc loco non Enunciativa a complexa, sed ter-  
minis incomplexa respicitur.

§. II. Ad Prædic:

1. Conceptus determinabilis reticetur. 2. conceptus determinans exhibet,  
tum materiale quod sunt plura accidentaliter unita: tum Formale, quod  
absolvitur collectivâ significatione: ut significet modo sibi debito ens ag-  
gregativum,

PRÆC. II.

Terminus distributivus est quâ conceptus in aliis multiplicabiles de-  
signat. ut Species, quæ notat conceptus in individuis plurificabiles.

exθ.

§. I. Ad Subj.

Non distributio entitativa, sed cognoscitiva nunc insinuatur. Neq; tm.  
per eandem distributio realis, sed notionalis respicitur. Atq; hæc nunc est  
Logica, non quidem complexa, quæ Enunciationi est propria: sed incom-  
plexa, quæ inter terminum cadit.

§. 2. Ad Prædic.

1. Materiale distributivi termini est conceptus, qui in aliis plurificari  
potest. Communicabilitatem n. importat ipse. 2. Formale, consistit in  
representatione distribubibili, quâ terminus distributivus repræsentat  
juxta modum distributionis sibi proprium, conceptus in aliis multi-  
plicabiles.

SECTIO II. DIRECTIV.

CAN:

I. Terminus collectivus quæ talis, non est terminus communis.

exθ.

Notanter dicitur quæ talis. Nam si terminus collectivus pensitetur  
prout abstrahit ab hoc l. illo particulari v. e. Civitas ab hæc l. illâ civita-  
te, verè existit terminus communis. Significat n. ita divisim hoc l. illud.

II. Terminus distributivus inadæquate singulis seorsim, adæquate a  
singulis conjunctim tribuitur.

exθ.

Ratio est, quia de pluribus dicitur partialiter.

SECTIO III. DISPUTAT.

Q. Quomodo terminus distributivus & Universalis inter sese dif-  
ferant?

I 3

Ref. D



Resp. D. inter terminum distributivum in sensu *adequato & potiori*: & in sensu *inadequato & minus frequenti* acceptum. Si terminus distributivus accipiatur priori modo, respondemus, quod ipse sit termino Universalis (np. sumto Logicè & in prædicando) latior. Omnis n. terminus universalis est quidem *distribubibilis*, sed non omnis terminus distribubibilis est statim universalis, cum etiam terminus particularis in sua inferiora distribui possit.

## TITULUS VII. DE TERMINO UNIVERSALI, PARTICULARI ET SINGUL.

### SECTIO I. POSITIVA.

#### PRÆC. I.

*Terminus Universalis est terminus Logicus, qui conceptum singulis sub se contentis communem significat. Est q. i. Univocus l. Analogus.*

I. Ad Subj.

ex D.

Quod jam *Universalitas*, non in *essendo*, a. *cognoscendo*, sed in *predicando* respiciatur: substrata materia comprobatur. Quod deinceps *Universalitas* dicendi, non *complexa*, quæ propositioni, sed *incomplexa*, quæ simplici termino propria est, hic insinuetur, 70 *Terminus*, edocet.

II. Ad Prædic:

§. 1. *Conceptus contrahibilis* per se claret.

§. 2. *Conceptus contrahens* constat, tum *Materiali*, tum *Formali*. (α) *Materiale* (sc: *Objectivum*) est *conceptus primus omnibus sub se contentis communis*. Requiritur ergo, vi hujus signati, ad terminum universalem (1) *conceptus aliquis signatus*. (2) *Conceptus illius multiplicabilitas, communitas, atq; identitas*. ut sc: ipse plurificetur essentialiter in participantibus eundem, & communicetur a. potius identificetur iisdem. (3) *participantium pluralitas*, ut np. non unum, sed plura, de isto communicabili conceptu participant (4) *participantium Homogenetas*. Ut videl: isti participantibus conceptus, sint ejusdem ordinis adeo ut in communi esse conspirent. (β) *Formale* consistit in significatione illius essentialiter communicabilis conceptus. Sicut enim alij termini: ita etiam terminus universalis significationem obtinet. Sic *Genus*: sic *Species*; sic *Synonymum* est terminus universalis.

§. 3. *Terminus Universalis Univocus est terminus Universalis, ex quo suis participantibus conveniens*. Sic *Genus univocum*, æqualiter suis speciebus univocatis competit.

§. 4.



§.4. *Terminus universalis analogus est terminus Universalis, qui inaequaliter suis participantibus est communis, adeò, ut uni per prius, alteri autem per posterius conveniat.* Sic Synonymum analogum, est ejusmodi terminus analogus, cum uni analogatorum πρώτως: alteri verò δευτέρως communicetur.

PRÆC. II.

*Terminus particularis est terminus Logicus, qui conceptum quibusdam communem designat.*

ἐκθ.

Infert proinde hic terminus formaliter communicabilitatem conceptus in ordine ad paucos. Dum enim non omnes sed pauci solummodo conceptus participant conceptum hoc termino significatum, ipse ab aliis discernitur, & in proprio esse particularis termini constituitur.

PRÆC. III.

*Terminus singularis est terminus Logicus, qui conceptum numericæ naturæ notat. Est ḡ. l. Indeterminatus l. determinatus.*

ἐκθ.

§.1. Sunt igitur προσκείμενα præsentis termini. (1) *conceptus à re singulari abstractus* (2) *conceptus illius numerici ad plura incommunicabilis* (3) *conceptus illius incommunicabilis significatio.* Ut per hunc terminum, non alius, quàm quidem singularis atq; incommunicabilis conceptus signetur. Sic Pauci. Quidam: Multi sunt termini particulares, cum non omnia; sed partem entium significant.

§.2. *Terminus a. indeterminatus est qui rem indeterminatè, vel collectivè unam significat v.c. Witteberga, est terminus singularis, sed collectivus, quia designat unum ens singulare per aggregationem tale.* Quidam planta: aliquis homo.

§.3. *Terminus determinatus est terminus singularis, qui rem determinatè singularem designat, v.c. Georgius, Maria.* Determinantur vero l. *ex demonstratione, ut hæc arbor. l. ex circumscriptione.* ut Tarsensis Apostolus i.e. Paulus l. *ex antonomastica appellatione.* ut Poëta, pro Virgilio. l. *ex suppositione* ut: Humani generis Redemptor, i.e. Christus.

### SECTIO III. DIRECTIVA.

#### CANON:

*I. Terminus universalis, & multiplicabilitatem, & communitatem & identitatem infert.*

ἐκθ.

(1) *Multiplicabilitatem, ut ipse in pluribus, aut potius in cunctis multiplic-*

ripli-



tiplicetur. (2) *Communitatem*, ut ipse participabilis sit singulis hujus ordinis. (3) *Identitatem*, ut eadem quidditas, quæ signatur per terminum universalem, habeatur in singulis.

*II. Terminus universalis à communi non nihil differt.*

èxθ.

Iste enim (α) *multiplicitatem* (β) *communitatem* ad singula (γ) sibi homogenea (δ) *per modum identitatis*, ita, ut eadem essentia, quæ habetur in universali, possideatur quoque in singulis, istum terminum participantibus, importat. Hic verò non *multiplicitatem*, sed *communitatem* infert, & quidem, non per modum identitatis, ut eadem quidditas multiplicata habeatur in singulis: sed per modum diversitatis, ut eadem res diversis, vel *rebus*, vel *modus*, communicabilis existat.

*III. Nomina Parentelarum, Patronymica & Gentilia, sunt termini communes.*

èxθ.

Sic *Austriacus* significat procreatos & procreandos ex imperiali stirpe Austriaca. *Germanus*, nomen est commune in Germaniâ natis.

*IV. Terminus singularis significat rem numero unam per modum completi, non autem per modum incompleti, s. partium.*

èxθ.

Hoc enim respectu plura significare potest v. c. Johannes completè notat numerum & eam essentiam Johannis, incompletè verò designat partes, tum essentialis, tum integrales Johannis. Sic exercitus completè notat unum singulare collectivum: incompletè verò dicit illa singularia quæ ad hoc aggregativum singulare constituendum concurrunt.

### SECTIO III. DISPUTATIVA.

*Q. Anne nomina pluralis numeri tantum, quæ ingenium singularis termini præ se ferunt, sint ex numero terminorum singularium, num verò ex censu communium?*

Hujus ordinis non pauca sunt nomina v. c. Athenæ, Parisii, quæ videntur esse termini communes, cum tanquam pluralia nomina significant plura. Cæterum hæc & alia, sunt pluralia apud Grammaticos, sed non penes Logicos. Sunt enim pluralia, quoad materiale & sonum, sed non quoad formale & sensum. Quandoquidem ipsa significant solum unam rem, & proinde sunt termini quæ sensum & rem singulares, quæ sonum & vocem communes.

TITU.



# TITULUS VIII. DE TERMINO ABSOLLITO ET CONNOTATIVO.

## SECTIO I POSITIVA.

### PRÆC. I.

*Terminus absolutus est terminus Logicus, qui significat absolute conceptum rei ad modum per se stantis, non consignificato altero, cui inhaeret.*

in d.

I. Ad Subj: 7<sup>o</sup> absolutum jam non opponitur *Respectivo*, sed *Connotativo*.

II. Ad Prædicat: Per se stare competit rei significatæ: & illa res dicitur per se stare, quæ alteri non adjacet a. inest, licet alia insint in ipso, ipsiq; adjaceant, ut de eo dicantur. Ad modum per se stantis significare, convenit termino significanti, & est, cum res quæ non inest, vel adjacet alteri, aut si inest, non tamen ut inest, vel adjacet significatur. Sic Homo. Rationalitas. Justitia. Albedo, sunt termini absoluti.

### PRÆC. II.

*Terminus Connotativus est terminus Logicus, qui significat conceptum rei ad modum adjacentis a. inhaerentis alteri. Estq; l. intrinsecus l. extrinsecus.*

in d.

I. Ad Subj.

Connotativum descendit à connotare, eò quod connotet alium terminum, cum quo est.

II. Ad Prædic.

§. 1. Adjacere convenit rei significatæ & illa res dicitur adjacere, quæ alteri inest, vel quomodocumq; adjacet. Per modum a. adjacentis significare, proprium est termino significanti, & infert; non tantum formam adjacentem & inhaerentem v. c. pulchritudinem: sed etiam notat, subjectum formæ significatæ, ut pulcher.

§. 2. *Intrinsecus est, qui de formali significat aliquid essentielle rei.* Sic *rationalitas* est ejusmodi terminus connotativus intrinsecus, cum connotet & adjaceat essentialiter homini. Unde ipse significat rem per modum adjacentis, quæ non propriè adjacet.

§. 3. *Extrinsecus est qui de formali aliquod accidens denotat.* v. c. *albedo* est ejusmodi terminus, cum verè rem adjacentem per modum adjacentis importet.

K

SECT



SECTIO II. DIRECTIVA.

CANON:

I. Et substantia & accidens potest fundare terminum absolutum.  
ἐκθ.

Nam ad esse termini absoluti, non tam subsistentia aut inhærentia, quam non significare ad modum inhærentiæ aut adjacentis. Quicumq; igitur terminus non significat inhærens aut adjacens, ut & neq; tanquam inhærens a. tanquam adjacens, ille est absolutus.

II. Ad terminum connotativum non sufficit inhærens a. adjacens, sed etiam requiritur, ut significet tanq. inhærens a. tanq. adjacens.  
ἐκθ.

Debet igitur id, quod inhæret aut adjacet, significare cum subjecto, cui vel inhæret, vel adjacet, si terminus connotativus est. Connotativum enim dicitur, quod notet unum cum altero.

III. Connotativum duo habet significata, formale sc. & materiale.  
ἐκθ.

Significatum materiale est subjectum formæ significatæ: significatū formale est forma quæ significatur. v. c. doctus, ut terminus connotativus designat duo, videl: subjectum doctrinæ, quod est homo, tanquam materiale, & deinceps ipsam doctrinam, ceu formale.

IV. Omnia Nomina Adjectiva (excipe tamen Syncategoremata Omnis: Nullus &c.) sunt connotativa, Non tamen omnia connotativa, sunt adjectiva.  
ἐκθ.

Ratio prioris membri est, quia omnia adjectiva, non substantivè, sed adjectivè sumpta, connotant inhærens, ut inhærens. Ratio posterioris membri est, quia etiam Substantiva nonnulla, sunt termini connotativi. v. c. termini, Doctor. Pauper. Latro, sunt quidem connotativi, non tamen adjectivi.

SECTIO III. DISPUTATIVA.

Q. I. Quomodo terminus absolutus discernatur ab abstracto: Connotativus autem à concreto?

Resp. Absolutus differt à termino abstracto tanquam *latius* ab *angustiori*. Omne enim abstractum est terminus absolutus, sed non contra. Uti patet in concretis substantialibus v. c. Homo. Leo. Canis. Connotativus autem discernitur à concreto, tanquam *angustius* à *latiori*. Nam omnis terminus connotativus est concretus, sed non vicissim: omnis

con-



concretus est connotativus. Id quod elucescit, tum ex substantialibus concretis v. c. Homo, est terminus concretus substantialis, non tamen connotativus: ut fatentur omnes: tum ex quibusdam accidentalibus, ut Maritus, servus.

Q. II. Quorum alterutrum, an materiale, num verò formale in termino connotativo principaliter significetur?

Resp. Concurrere in termino connotativo, & materiale, quod nomine subjecti: & Formale, quod nomine formæ, illi Subjecto adjacentis venit, edo cuit Canon 3. sect. directivæ. Subjectum autem connotatur, & forma, quæ Subjecto advenit, notatur, v. c. in albo, paries connotatur: albedo notatur. Deinde materiale significatum in recto, formale a. s. forma denominans, in obliquo casu significatur. Illud verò dicitur significari in recto, quod in explicatione termini significantis, ponitur in Nominativo casu: Et illud dicitur significari in obliquo, quod in explicatione termini significantis, ponitur in casu obliquo. v. e. album est res s. aliquid habens albedinem. Dominus est persona habens Dominium. s. quæ ornata est dominio. Jam circa hæc duo disquiritur inter Logicos, utrum horum significetur primario? Respondent aliqui, utrumq; significari ex æquo, non secus atq; in homine & animam & corpus æqualiter, neutrum principaliter significari. Nam sine corpore non esse hominem, neq; etiam sine animâ, esse hominem, sed utrumq; per se & primò requiri ad hominem: ita in albo, album non posse stare primò & per se sine subjecto: neq; etiam sine albedine album posse primò & per se stare, sed utrumq; requiri principaliter & unumquodq; in suo genere. Cæterum si res accuratius pensitetur, concedimus eundem, quòd constitutionem termini connotativi ingrediatur, tum materiale, tum formale ejusdem significatum: sin verò mutua collatio inter hæc duo instituatur, omnino statuimus, potiores partes deferendas esse formali, dum hoc, non tantum velut nobilior pars connotativi, antecedit materiale: sed etiam tanquam ratio constituens atq; denominans, largiatur termino connotativo constitutionem, distinctionem, nec non appellationem.

TITULUS IX. DE TERMINO  
ADÆQVATO ET INADÆQVATO.

SECTIO I. POSITIVA

K 2

PRÆC



PRÆC. I.

*Terminus adæquatus (convertibilis, it: reciprocus) est terminus Logicus, qui de alio dicitur reciprocè, in d.*

Consistit igitur in mutuâ s. convertibili prædicatione. Sic Homo & risibilis. Ens & unum. Brutum & esse expers rationis, sunt termini adæquati, cum utrobique habeatur reciproca Dicibilitas, ita, ut dicere liceat. O. homo est risibilis: Et quicquid est risibile est homo. O. Ens est unum & quicquid est unum, illud est Ens. O. brutum est rationis expers: & quicquid est expers rationis illud est brutum. PRÆC. II.

*Terminus inadæquatus (i: non convertibilis: non reciprocus) est qui de alio reciprocè dici nequit. in d.*

Infert proinde hic terminus non reciprocam dicibilitatem. Qualis deprehenditur penes terminos latiores & strictiores: essentielles atq; extræssentials: excedentes atq; excessos. Sic termini inadæquati sunt brutum & avis: Homo & Johannes: cum inter eosdem non intercedat convertibilis prædicabilitas, adeo, ut dici queat O. brutum est avis: & O. avis est brutum, sed ex posteriori saltem parte Universalitas: ex priori autem particularitas, solummodò habet locum.

SECTIO II. DIRECTIVA.

CANON:

I. *Sicut termini adæquati æq; latè patent: ita terminorum inadæquatorum diversa est latitudo. in d.*

D. inter eandem latitudinem ratione prædicationis: & ratione Subjecti l. alterius alicujus tertii. Illi hic intelligitur, cum termini adæquati de se mutuò soleant affirmari universaliter v. c. Omnis homo est rationalis; & O. rationale est homo: respectu autem subjecti vel alterius alicujus tertii possunt ejusdem latitudinis, etiam alii termini, præter adæquatos, esse. Sic fides & justificatio ratione subjecti æque latè patent. Contrà verò terminorum inadæquatorum inæqualis est latitudo, adeò, ut unus de alio universaliter, alter verò particulariter affirmetur. v. c. Omnis homo est animal. Q. animal est homo.

II. *Definitum & definitio: species & differentia specifica: Proprium & ejus subjectum adæquatum, sunt termini adæquati.*

in d.

Hæc enim singula, cum necessarium importent nexum, universaliter de



de se invicem affirmantur. v. c. O Homo est animal rationale: & quicquid est animal rationale, illud est homo. O. homo est rationalis: & quicquid est rationale, illud est homo. O. homo est capax disciplinæ: & quicquid est capax disciplinæ, illud est homo.

### SECTIO III. DISPUTATIVA.

#### Q. I. *Quanam Convertentia hinc intelligatur?*

Reip. *Convertentia* generatim loquendo, in triplici versatur differentia. Nam alia est *in modo essendi*: alia *in modo cognoscendi*: alia *in modo dicendi*. Illa reciprocationem respectu entitatis: *ista* respectu cognoscibilitatis: *haec* respectu praedicabilitatis dicit. Convertentia realis, propria est enti & non immeritò dicitur Metaphysica. Hanc convertuntur Ens essentia, res, aliquid, existentia &c. tanq. Synonyma. *Ista* convenit *Intelligibili* & Gnostologica salutatur. Secundum quam conceptus alius est *adequatus*, alius *inadequatus*. *Hæc* appropriata est praedicabili, & appellatur Logica. Deinde convertentia, tam in essendo & cognoscendo, quam in praedicando, duplicis est generis, adeò, ut alia sit *quæ essentiam*, eorum videl: quæ eandem obtinent essentiam & simpliciter convertuntur. Qualis habetur inter Synonyma: alia verò sit *quæ suppositum*, eorum, quæ in tot reperiuntur suppositis, in quot res ipsa, cum quæ converti dicuntur, Atq; hæc est attributorum. *Illa* posset *essentialis* s. *synonymica*, hæc verò *extraessentialis* s. *paronymica*, dici, reciprocatio. Quæ ratio & varietas convertentiæ deprehenditur penes modum tum *essendi*: tum *cognoscendi*: tum *dicendi*: Unde conficitur quod Convertentia *entitativa*: *cognoscibilis* atq; *dicibilis* sit duplicis ordinis. Postrema a. sc. *dicibilis*, rursus est l. *Incomplexa* quæ inter terminos simplices datur: l. *Complexa*, quæ inter propositiones habetur. Nos in præsens, convertentiam *dicibilem*, eamq; *incomplexam* proponimus atq; intelligimus. Id quod substracta materia, quæ Logico modo tractatur confirmat: & cum hoc loco terminus *incomplexus* sit expendendus, non nisi convertentia *incomplexa*, insinuari potest.

### TITULUS X. DE TERMINO ABSTRACTO ET CONCRETO.

#### SECTIO I. POSITIVA.

##### PRÆC. I.

*Terminus abstractus est terminus Logicus, qui sine connotatione*  
K 2 *subje-*



subiecti formam per se significat. Estq; l. Substantialis, .l. Accidenta-  
lis. in 9.

I. Ad Subj:

Per abstractum jam non indigitatur abstractum ab inferioribus, quo sensu Genus à suis speciebus; species à suis individuis est abstracta: sed abstractum à connotatione subiecti l. supposito cum quo est conjunctum. Atq; sic opponitur concreto. Sic v. c. hoc modo est abstractum doctrina, quando ea non consideratur prout est in subiecto, sed in quantum à subiecto suo est separata.

II. Ad Prædicat:

§.1. Omisâ evolutione materialis rationis dicimus, quòd termini abstracti formalis ratio inferat seorsivam s. nudam formam absq; subiecti connotatione, significationem.

§.2. Terminus abstractus substantialis, est quo natura vel differentia in se considerata citra suum suppositum significatur. v. c. Corporeitas. Animalitas. Rationalitas. Estq; alius, qui formam Metaphysicam (totius) sine connotatione suppositi significat. Ut: Humanitas est abstractum ab homine. Equinitas ab equo. Alius qui differentiam substantialem, non significato supposito in quo est, consignificat. ut: Rationalitas.

§.3. Terminus abstractus accidentalis est qui signat accidens absq; connotatione subiecti in quo est. ut: Albedo. Estq; l. significativus abstracti abstractione ultimata: quando conceptus extraessentialis s. accidens, abstrahit & à subiecto inhaerentiae communi (alieno) & à subiecto proprio. ut: Albedineitas & à subiecto albedinis & ab albedine abstrahit. l. significativus abstracti abstractione non ultimata, quando conceptus extraessentialis s. accidens abstrahit à subiecto inhaerentiae: ut: Albedo à pariete.

PRÆC. II.

Terminus concretus est terminus Logicus, qui formam connotando subiectum significat. Estq; alius substantialis, alius accidentalis, in 8.

I. Ad Subj.

7o Concretum jam non capitur in sensu Metaphysico, prout in ordine essendi importat ens concretum: sed in sensu Logico, quatenus sub modo prædicandi spectatum, infert conceptum significativum, tam formæ, quam subiecti, in quo ista forma deprehenditur,

II. Ad



## II. Ad Prædicat.

§.1. Consistit proinde *Concretum Logicè* acceptum in complexâ (conjunctivâ) & *subjecti* & *formæ* significatione.

§.2. Terminus concretus substantialis est, qui notat essentiam vel differentiam substantialem unâ cum suo subjecto. ut: Homo. Rationale. *Homo* enim formam; *Rationalitas* autem differentiam cum suo subjecto importat.

§.3. Terminus concretus accidentalis est, qui conceptum extræssentialem (s. ille sit accidens s. non) cum *Subjecto* in quo ipse esse concipitur, significat. ut: albus. Unum: verum (transcendentaliter spectatum.) Est q; alius cum *supposito proprio*, qui significat accidens abstractum quidem à subjecto inhærentiæ (s. communi) non tamen abstractum à *supposito proprio* secundum abstractionem ultimam. ut: Albedo. Color. *Alius* cum *supposito alieno* (communi) quando accidens consideratur cum subjecto inhærentiæ, adeo q; juxta abstractionem non ultimam. ut: sapiens. albus.

### SECTIO II. DIRECTIVA.

I. Terminus abstractus significat per modum simplicis, sed non semper rem simplicem. ἐκθ.

Sc: ipse significat formam. Forma autem illa non semper est simplex, sed sæpius est composita. v. c. Humanitas est abstractum, significans humanam naturam, quasi per se cohærentem extra suppositum humanum, & tamen quid compositum est.

II. Terminus concretus significat per modum compositi, sed non semper rem compositam. ἐκθ.

Nempe notat formam in subjecto, quod tamen non semper ex parte rei differt à formâ. Sic Angelus est concretum, & tamen est ex pers compositionis Physicæ.

III. Omne concretum principaliter dicit formam, minus principaliter subjectum. ἐκθ.

Unde communiter statuitur, quod concretum notet formam, subjectum autem connotet. Habentur enim duo in omni concreto sc. Subjectum quod denominatur, & abstractum s. forma denominans, quæ denominat. Potior ratio hujus, quàm illius est habenda.



# TITULUS XI. DE TERMINO FINITO ET INFINITO.

## SECTIO I. POSITIVA

### PRÆC. I.

*Terminus finitus est qui determinatè sine adjectâ negandi particu-  
lâ rem certam significat. Sic Brutum. Arbor. Lapis. Brutum n.  
rem certam citra negationis particulam significat.*

*ex. 9.*

*§. 1. Ad Subj. Finitus dicitur hic terminus, eò quòd finite s. definite sit  
significationis: & quidem sub respectu ad modum predicandi.*

*§. 2. Ad Prædic.*

*1. Materiale hujus termini est, res certa, conceptus, rem certam inclu-  
dens. 2. Formale dicitur significationem à negatione denudatam. Qvalis a  
negatio hic exulare debeat, in seq. Præcepto explicabitur.*

### PRÆC. II.

*Terminus infinitus est qui significat omnem rem præter eam, quæ  
designatur voce finita, cui negatio præfigitur. ut: Non-brutum.  
Non-arbor. Non-lapis. Estq; alius Nomen infinitum: alius Ver-  
bum infinitum.*

*ex. 10.*

*§. 1. Ad Subj.*

*Infinitas non (1) absoluta: sed comparata s. magna pluralitas, Neq; (2)  
infinitas in essendo: sed in predicando nunc insinuatur.*

*§. 2. Ad Prædicar:*

*(1) Materiale hujus termini est res multa; ad certam tamen pluralitatem  
limitata. (2) Formale consistit in exclusivâ & inclusivâ significatione. Vi  
illius non significat id, cui particula infinitans est apposita. Vi hujus,  
significat omne, cui vox finita cum particula negante opponitur. Unde  
particula NON, terminum infinitum efficiens, jam non capitur neganter,  
ita ut malignantis sit naturæ, & omne, quod post se invenit, destruat  
& oppositum ejus efficiat; sed infinitanter, hâc ratione, ut non exerceat  
totam vim negationis, sed saltem limitatam, ita, ut solum significatum  
vocis, cui adjungitur neget, adeoq; illud qd. indeterminatæ & infinitæ  
signi-*



significationis efficiat, quia cætera omnia significat, præter rem, cui negatio est appositæ.

§.3. *Nomen infinitum est cum particula NON infinitanter accepta, præfigitur Nomini Logico. ut: Non homo. Non animal.*

§.4. *Verbum infinitum est cum particula NON infinitanter accepta præfigitur Verbo Logico. ut: non-videt.*

## SECTIO II. DIRECTIVA.

CAN:

*I. Terminus finitus, est finita significationis.*

èxθ.

Designat enim rem certam atq; determinatam.

*II. Terminus infinitus ita negat unum, ut verificetur de quovis alio.*

èxθ.

Unicum n. illud excludit cui particulæ infinitans est appositæ: reliqua a. omnia includit. v. c. Non-homo ita naturam hominis negat, ut verè de quovis alio, quod non est homo dicatur. Nam & brutum & arbor, & herba, & mineralia, & metalla, & elementa sunt non-homo.

*III. Terminus infinitus significat incomplexè.*

èxθ.

Est etenim terminus incomplexus. v. c. Non-homo significat negationem ejus, quod terminus homo significat extra compositionem illam cum particulâ NON; adeoq; rò non homo, non significat negationem & hominem: sed negationem hominis. Hinc etiam termino finito per se non respondet in mente conceptus complexus.

*IV. Nomen infinitum de formali dicit negationem rei, cui adjungitur, de materiali ceteras, præter illam negatam.*

èxθ.

Sc: qn. dicitur de Ente: cum a. dicitur de non-Ente, materialiter non notat entia.

*V. Verbum infinitum sæpe deprehenditur in propositione ex respectu ad aliam propositionem, cum quâ est connexa.*

èxθ.

Non enim negantem, sed infinitantem reddit propositionem. Sic

L

quod



quo *non credunt*, in hac propositione: *Qui non credunt, damnantur*, sit verbum infinitum, dispalescit ex minori propositione: *Judai non credunt*, quæ est & manet affirmativa.

SECTIO III. DISPUTAT.

*Q. Utrum terminus Syncategorematicus infinitari possit?*

Resp. Neg. Terminus enim Syncategorematicus, non *significat*, sed *consignificat*. Jam v. particula infinitans non adjicitur termino consignificativo, sed *significativo*. Duo quippe ingrediuntur essentialiter terminum infinitum (1) *significatio* & (2) *negatio*. Per illam, excluditur terminus consignificativus: per hanc v. terminus *transcendens*: qui quantumvis nihil significet *determinatè*, infinitus tamen non est, cum de ratione termini infiniti sit, dicere formaliter *negationem*.

TITUL: XII. DE TERMINO

DENOMINATIVO, DENOMINATO ET DENOMINANTE.

SECTIO I. POSITIVA.

PRÆC. I.

*Terminus denominativus est qui significat rem ab aliquâ forma denominatam. Est q. l. extrinseca l. intrinseca denominationis.*

s. n. d.

I. Ad Subj.

§. 1. *Denominatio non in essendo a. cognoscendo, sed in predicando, jam intelligitur. Cum versemur in foro Logico.*

II. Ad Predic.

§. 2. *Materiale hujus termini est res denominata. Per Rem designatur in universalis omne Ens, prout præscindit tum ab eminenti, tum à vulgari: tum à substantia, tum ab accidente. Et quidem omne Ens respicitur nunc sub habitudine ad aliquam formam denominantem. s. realiter & formaliter diversam ab ipsa re, quam denominato. (2) Formale absolvitur denominativâ significatione. Hic n. terminus non significat absolutè aliquam rem, sed relatè, in ordine ad formam à quâ confluit denominatio. Subjectum connotat, formam a. notat.*

§. 3. *Terminus intrinseca denominationis est, qui exprimit rem ab in-*

tyim.



*insecâ formâ* (s. inhaerente s. reali & intrinsicè ob intimam unionem aut appropriationem aut imputationem competente) *denominatam*. ut Prudens. *Omnipresens*, respectu Christi hominis. *Justus*, in ordine ad hominem iustificatum.

§ 4 *Terminus extrinsecæ denominationis est, qui designat rem ab extrinsecâ forma denominatam*. U. Vestitus. Visus.

PRÆC. II.

*Terminus denominatus est, qui significat subiectum ab aliquâ forma denominatum*. ut: homo, in quantum notat personam Prudentia præditam.

è xθ.

*Materialis* igitur ratio huius termini est *Subiectum extrinsecè ad formam denominantem spectatum*. Per quod intelligitur non *subiectum inhaerentis* sed *predicationis*, extendens se tam latè, ut complectatur omne, de quo forma denominans dici potest *Formalis* a. ratio est *significatio*.

PRÆC. III.

*Terminus denominans est, qui significat formam à quâ subiectum denominatur*. ut prudentia. Iustitia.

è xθ.

Per *formam* hoc loco insinuat omne id, quod extraessentialiter respicit suum subiectum, ipsum tamen non implicat; s. illud sit *substantia* s. *accidens*: s. *abstractum* s. *concretum*: s. *realiter* s. *conceptibiliter* differat à suo subiecto, quod denominat.

SECTIO II DIRECTIVA.

CAN:

I. *Denominativum significat & formam, quæ denominat, & subiectum, quod denominatur, sed inæqualiter*.

è xθ.

Sc. *primariò* notat *formam*, *secundariò* autem *subiectum*. Licet in resolutione subiectum significetur per *casum rectum*. *Forma* vero exprimitur per *casum obliquum*. v. c. Prudens est persona habens Prudentiam.

II. *Denominativum de subiecto denominato tantùm predicari potest paronymicè*.

è xθ.

Respicit enim illud *extrinsecè*, adeò, ut forma denominans




minans vel non sit ipsa subjecti essentia, vel saltem non concipiatur,  
ut essentia illius.

SECTIO III. DISPUTAT.

*Q. Quomodo terminus denominativus discernatur à  
connotativo?*

Resp. ut angustior, à latiori. Omnis n. terminus *denominativus*  
potest esse *connotativus*, non a. omnis *connotativus* potest esse *denomi-*  
*nativus*: cum ille involvat & *essentialem* & *extraessentialem* resp. etum  
ad subjectum connotatum: *hic* v. tantum *extraessentialem* inferat *ex-*  
*tra* ad subjectum denominatum. Deinde denominativum semper exi-  
git peculiare nomen, quo illius formæ exprimitur: *Connotativum* a.  
potest habere formam *denominantem*, quæ tamen destituatur peculi-  
ari nomine, per quod ipsa significatur. ut: *Pugil.*

Cursor.



**L** Audo, Mi SEMPER, conatum, laudo placendi,  
Propositum, quando publica verba facis.  
Sic auges commune bonum, sic commoda multis  
Gignis, sic dotes ingeniumq; probas.  
Pergito constanter, donat DEUS ipse secundos  
Successus, aderunt præmia larga Tibi.  
Patria gaudebit, Patroni pectore toto  
De se gaudebunt, Laus tua semper erit.  
Singula quò fiant, quò sint Tibi prospera fata,  
A Domino summo, supplice corde precor.

*Optimo Dn. SEMPER, AA. LL.*

*Studioso solertis. Amico meo dilectis.  
gratulas hæc apponeb.*

**M. Georgius VVagnerus**  
Fac. Phil. Adj.



Ung VI 73

ULB Halle 3  
004 108 515  












C.  
**II SYN.**  
**I C I**  
**CA**  
 IV.  
 VUM ATQVE DI-  
 UM ET RESPECTI-  
 CULAREM ET SINGU-  
 ATIVUM: ADÆQVATUM ET  
 TUM ET CONCRE-  
 NFINITUM.  
 E  
**VAGNERO,**  
 Adj.  
 Nimicio-Siles.  
 ofus.  
*n collationi*  
 M. DC. LXX.  
 onsvetis subjicit.  
 Æ  
 I, Academ. Typogr.